Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 265

Quelle:
Copyright:

uium, cui Deus dixit. Penitet me feciſſe hominem &c. Et finit: *Archa autem in monte ararath in montibus armenie ſedit.* Ad calcem *Hom.* XVI. legitur Τετραστιχον infelicem *Origenis* caſum plangens:

O quam mira, Deus, tua ſunt velamina mundo!
Is quia ſi periit, quis, rogo, ſalvus erit!
Quis non hinc ſtupeat, quis non tua jura tremiſcat!
Hic quoque poſt Paulum Vas fuit egregium.

V. *fol.* 275. *Sermo beati Bernardi.* In illud *Luc.* XIX. 13. *Negotiamini, dum venio.* Initium: *Verbum patris vnigenitus dei ſol iuſtitie magnus paterfamilias ſupernus ille negociator de ultimis finibus celorum noſtre redemptionis precium aſportauit* &c. Agit de *quinque Regionibus* perambulandis Negotiatori Chriſti, quae ſunt: *Regio diſſimilitudinis, auſtralis, expiacionis, gehennalis,* et *ſupercelestis.* Habetur Sermo hujus argumenti inter *Bernardi Sermones de Diverſis n.* XLII. Edit. *Maur. Pariſ.* 1690. T. III. *col.* 1175. f. verum is in praeſenti Exemplo mire auctus et interpolatus eſt, neque infarcta omnia *Bernardum* ſapiunt. Definit: *meretur tandem ſuper multa conſtitui et intrare gaudium domini ſui. Quod nobis preſtare dignetur* &c. In quo quidem *Matth.* 25. loco etiam genuinus *Bernardus* finit.

VI. *fol.* 279. p. 2. *Oratio beati Anſelmi de paſſione Domini.* Init: *Benedic anima mea domino et omnia que intra me ſunt Te Domine clementiſſime iheſu redemptor generis humani debitis et deuotis honorent obſequijs. Saluatoris infirma nos* &c. Atque in his verbis coincidunt impreſſa Exempla, quae incipiunt: *Jeſum Nazarenum a Judaeis innocenter condemnatum a gentibus crucifixum* (vel *cruci affixum*) *Chriſtiani* (*nos*) *divinis honoremus obſequiis. Salvatoris infirma nos* &c. Dixi impreſſa Exempla; extat enim pius hic Affectus et inter *Anſelmi Opera* edit. *Gerberon. Pariſ.* 1721. inter *Meditationes n.* IX. p. 217. f. et inter *Bernardi* edit. *Mabill. Pariſ.* 1690. T. V. *col.* 649. f. Et *Mabillonius* quidem a *Trithemio* et *Bellarmino* ſub titulo *Stimuli Amoris Anſelmo* tributum abjudicat *Bernardo; Gerberonius* vero non audet firmius *Anſelmo* adſerere, licet in variis Mſſ. et antiquioribus Editionibus titulo *Speculi evangelici Sermonis,* aut *de Humanitate,* aut *Stimuli Amoris* eidem adſcribatur. Adde titulum, quem in *Bernardo* praefert: *Sermo de Vita et Paſſione Domini,* et noſtrum *Oratio,* et mirare Librariorum κακοζηλιαν, qui toties Inſcriptionibus ſuis crucem nobis fixere. Finit Πολυωνυμον noſtrum: *gloria et gratiarum actio et imperium in ſecula ſeculorum amen.*

VII. *fol.* 284. p. 2. *Soliloquium Richardi de S. Victore.* Initium: *Verbum michi eſt ad te o rex ſeculorum iheſu chriſte. Auſu ca-*